



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput I. Fidei notio, divisio, ac necessitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

SECTIO I.

DE

FIDE, ET VITIIS OPPOSITIS.

CAPUT I.

Fidei notio, divisio, ac necessitas.

Fides in genere est assensus nostri intellectus, propter auctoritatem attestantis. Fides pro-
in *Theologica*, de qua hic agimus, est super-
naturalis, ac firmus assensus in res, quas Deus
umquam prima veritas revelavit. Definita hic
fides actualis est; habitualement ut describas dicito,
quod sit virtus *Theologica* seu habitus superna-
turalis inclinans ad firmiter assentiendum om-
nibus, a Deo revelatis, propter infallibilem
veracitatem revelantis. Aliam fidei descriptio-
nem sanctus Paulus tradit, cum ait: *Est autem*
fidei *sperandarum substantia rerum, argumentum*
non apparentium (*Hebr. 11.*). *Substantia* dici-
tur fides; quia est primum fundamentum ad
sperandam beatitudinem: *argumentum* vero,
sumendo causam pro effectu; quia fides
est firmus assensus, qui alias argumentis obtine-
tur. Vid. sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 4. art. 1.*

Fidei itaque divinæ *objectum* omnes illæ res
sunt, quas Deus revelavit, & inter quas Deus
ipse qua Author gratiæ, & gloriæ primatum
Godeau *Theol. Mor. Pars I.* D d tenet,

tener, propter quod fides *Theologica* dicitur cum autem res istæ solo rationis naturalis lumine cognosci numquam potuissent, divinæ revelationis, ac gratiæ lumen præcederet, necessum fuit, hancque ob causam fides *supernaturalis virtus* vocatur.

Fidei *motivum* est auctoritas Dei revelantis, quæ ex illius infinita sapientia, & veracitate quodammodo coalescit. Quia infinite sapientis, & omniscius Deus falli non potest: quia infinite *verax* fallere nec vult, nec potest; quia aliter prima ac essentialis veritas non esset. Hinc est quod Deus *firmum*, ac indubitatum fidei assensum a nobis requirat. Quas enim ipse revelavit, veritates sua certitudine omnes hominum assertiones, omnesque naturales scientias longe exsuperant (a).

Fides, quæ caritatem sibi contubernalem in anima habet, *formata*; quæ caritatis consortio destituitur, *non formata*, seu *informis* nuncupatur. Qui omnibus aut pluribus propositis

(a) Hac de re Innocentius XI. anno 1679. sequentes damnavit propositiones: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium* est n. 19. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalis*, est n. 20. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem statim cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.* 21. *Item: Fides lata dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit* est n. 23.

fidei articulis assentitur, assensum *explicitum*; qui aliquibus principalioribus assentitur, cæteris utcumque contentis, vel connexis assentiri paratus, assensum fidei quoad non expressa *implicitum* dedisse reputatur. Quisquis fidem, quam mente tenet, exterius manifestat, actum fidei externum ponit, qui ore factus *confessio*; opere completus *professio* vocatur.

Verum fidei exstat præceptum. Qui non crediderit, condemnabitur (*Marc. ult.*). Et: Sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr. 11.*). Tam multi, tamque clari in sacris litteris de fidei obligatione textus occurrunt, ut ipsa veluti in meridie cæcutiat, qui eandem non videat (*a*).

De tempore, quo præcepto huic satisfieri debet, nec ipsi Doctores concordant. Infidelem, quamprimum ipsi fidei mysteria sufficienter proposita sunt, ad assensum, ac explicitum fidei actum teneri, vix ullus catholicorum negat. Puerum ex parentibus orthodoxis natum, discretionis anno inchoato ad eliciendum fidei actum obligari multi ex sancti Thomæ doctrina deducunt. Imo fidei obligationem sæpius per vitam, & intra annum stringere graves Theologi probant, fidemque, iisdem fere, quibus caritatem, circumstantiis renovandam esse monent (*b*).

Fidei

(a) Hinc inter propositiones ab Innocentio damnatas etiam hæc, num. 16ta legitur: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Vid. Not. pag. 354.

(b) Sicut caritatis, ita & fidei præceptum pene in medio tollere nonnulli Moralistæ sunt ausi, quorum teme-

Fidei præceptum partim affirmativum, partimque negativum est. In quantum affirmativum est, ad assensum nædum internum, sed & actus quosdam externos, puta symboli recitationem, eorundem sacramentorum participationem, significandam cum membris & Ecclesie capite unionem &c. certis in circumstantiis, prout diximus, quosvis fideles obligat; in quantum autem negativum est, Christi, fidei, vel unius tantum articuli negationem sive internam sive externam pro quocumque temporis puncto prohibet. Qui me negaverit (ait Christus *Matth. 10.*) *coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ad quæ sanctus Apostolus respiciens ait: *Si negaverimus, & ille negabit nos (2. Timoth. 2.).* Peccaret proinde qui publica auctoritate de fide interrogatus Christianum vel catholicum se negaret; imo si privata persona de religione quæsitus negaret eam absque peccato numquam potes; utut fidem rectam in mente retineas; quia mendacium in re gravi committeres; attamen si silentio, vel æquivoco responso, quam intus geris, fidem occultes, aut nugacis interrogatoris curiositatem illudas, vix ullus te peccati condemnabit, nisi forsan tuo ex silentio &c. illi, qui adsunt, scandalum sumerent.

Recte

temeritati sententiam Innocentius dixit, illas proferens propositiones: *Satis est actum fidei semel in vita elicere. n. 17.* Et: *Sufficit illa Mysteria (Trinitatis, & Incarnationis) semel credidisse. n. 65.*

Rectæ fidei negatio nonnumquam indirecte contingit, dum nempe quis cæremoniis, vestibus, aut aliis quibusdam signis utitur, quæ non mere civilia sunt, sed sectam unam ab aliis distinguunt. Non igitur licet Mahumetis imaginem in pectore gestare, turcica vel judaica convenicula frequentare; calvinianam communionem adire &c. quia hæc hisque similia solis ejusmodi sectarum professoribus competunt (a).

Supposito jam fidei præcepto; quænam ab omnibus explicite credenda sint; ultra inquiritur. Ad quæstionem istam sanctus Paulus responder, dum ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit (Hebr. 11.)*. Deum igitur seu principium nostrum ac finem, creatorem, & conservatorem, qui boni retributor, ac mali vindex erit, credere tenemur, sicut jam omnes ab Adamo descendentes tenebantur (b).

Post

(a) Ritus sinenses, quos nonnulli Missionarii tamquam mere civiles, ac politicos diu tolerarunt, tandem modo religioso Confucio &c. exhibitos esse Clemens XI. maturum post examen cognovit, ac damnavit die 19. Martii 1715. Damna-ta quoque ab Innocentio XI. hæc propositio: *Si quis a potestate publica interrogatur; fidem ingenuè confiteri ut Deo & fidei gloriosum consulo, tære ut peccaminosum per se non damno. n. 19.*

(b) Contrarium denuo hac in propositione Innocentius damnavit: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris, nempe æterni. num. 22.*

Post Evangelii promulgationem sufficientem insuper explicitam de sanctissima Trinitate fidei omnino necessariam esse potior Theologorum pars docet, suamque sententiam præmissis illis Christi verbis fundat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti (Matth. ult.)*. Incarnationis quoque mysterium ab omnibus Christianis explicite credendum esse, probabilius datur. *Hæc est vita æterna (inquit Joannes 1. Epi. cap. 17.) ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum, Idem sanctus Paulus confirmat dicens: Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem in Jesu Christi (Gal. 2.)*; cum enim Jesus Christus Deus homo & fidei, & salutis nostræ auctor sit, explicitum ac præcipuum fidei objectum oportet. Non igitur absolutionis capaces sunt; qui quomodocumque hæc ignorant. Vid. pag. 210. (a).

(a) Vincibili horum mysteriorum ignorantia absolutionem impediri, ex hac propositione damnata inter Innocentianas 64ta patet: *Absolutionis incapax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi*. Eadem incapacitatem ex ignorantia quoque invincibili sequi melior Theologorum pars tuetur, quorum ratio & auctoritas opinionem oppositam saltem dubiam reddit. In dubiis autem tutius eligendum esse supra (pag. 37.) demonstratum est. Unde si pœnitentem tali sive vincibili

Præter hæc, qui inter Christianos sunt educati, adhuc omnia in symbolo Apostolorum contenta distincte credere tenentur, utut rudis quorundam memoria ordinate illa capere, ac referre non possit. Orationis quoque dominicæ petitiones, decalogi præcepta, sacramentorum numerum, suscipiendique modum, Ecclesiæ statuta & alia in catechesi puerorum contenta capita scire obligatur, in quantum nempe cuiuscumque capacitas, ac discendi opportunitas permiserit. Unde fides magis explicita in adulto quam puero, distinctior in cive, quam villico, explicatior in docto, quam rudi exigitur. Hinc est, quod eruditi, antequam ad gradus aut alia munia promoventur; fidem orthodoxam secundum omnem extensionem profiteri debeant; qua in professione multa continentur, quæ rudioribus vix secundum nomen sunt nota (a). Crassam horum ignorantiam ubi

sive invincibili ignorantia laborantem deprehendas, non modo ante absolutionem instruere, sed & ad omnes, quas tali in ignorantia probabilius invalide peregit, confessiones repetendas eundem hortari, imo adstringere debes.

(a) Hæc necessitate præcepti; illa nempe Remuneratoris, Trinitatis &c. mysteria necessitate *medii* explicite ab omnibus sunt credenda, ita ut homo, qui Deum Remuneratorem etiam invincibiliter ignorat, salutem consequi non possit. In casu, quo in duos pœnitentes incideres, quorum unus ea, quæ necessitate *medii* sunt credenda, invincibiliter ignoraret, alter necessitate præcepti credenda invincibiliter quoque nesciret. Hunc secundum breviter instructum absolvere debes, nisi

ubi confessarius in aliquo deprehendit, vel instruere, vel usquedum ista didicerit, absolutionem differre debet, præsertim si poenitens de sua obligatione admonitus, oblatam sæpius recipiendæ instructionis neglexerit occasionem. *Vid. pag. 216.*

CAPUT II.

Infidelitatis notio, & species subjiciuntur.

Fidem quovis peccato subverti tum antiqui quædam, tum recentiores hæretici docuerunt, quibus novissimum Tridenti celebratum Concilium anathema dixit (*Sess. 5. can. 5.*) Sanctus enim Apostolus ad Corinthios scribit: *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero, nihil sum (Ep. I. cap. 13.).* Ubi fides absque caritate subsistere posse aperte supponit. Tandiu enim fides in homine manet, quamdiu ejusdem intellectus revelatis propter Dei reverentis veracitatem assentitur, qui assensus solus infidelitatis, non alio quovis tollitur vel imputatur peccato.

forfan ob aliud motivum differenda absolutio videatur: primum vero ab iis quæ immediate confessus est, peccatis solvere non potes, nisi etiam illa, de quibus toto ignorantia tempore se accusavit, iterato clavibus subjicere, ac de iis poenitere velit; quia pro toto illo temporis tractu sicut salutis, ita & validæ absolutionis ob defectum incapax fuit. Hæcque differentia in eo confessariis probe est notanda.